



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1666

65. Reges Xau. ad Christum conuer.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10854

Exculto his studiis oppido, pergebat ad aliud; pedes semper, plerumque nudipes; nec si quando perpeffionibus, vel immodica fatigatione agrotallet, aliam volebat medicinam præter libri alicuius pij lectionem.]

Huc usque Ariaga, fuit alia eius solertia, ut quò voce nequibat, stylo pertingeret; ubi per se, absens concionari non poterat, id per alios præstaret. Eam in rem multas elucubrauit Institutiones Christianæ fidei, ac vitæ; breuius, fufius, pro conditione vel nouitiorum vel prouectiorum, sua quamque regionis erudiendæ lingua, easque magistris quos sibi substituisset in cura populi tradidit: eæ per hebdomadam sæpius, tamdiu publicè legebantur, dum iterandi crebritate, hærent audientibus, tenerentque illarum nunquam obliterandam memoriam: in iis pueri discabant legere, quibus ad hoc ipsum, opusculum edidit lingua Indorum maxime vulgari. Earum aliqua institutionum præsertim vna copiosius diffusa, complectebatur decem capitibus, ab Adami lapsu, ad Apostolorum prædicationem, quæ essent memoratu dignissima, interiectis ad mores egregiis documentis, hanc ut Indis illis agrestibus veniret gratior, & facilius disceretur, rithmis condiderat poëticis, quo factum ut ab iis deinceps cum voluptate cantaretur. Experimento enim compererat ad erudiendam plebem quantum interesset, Sacras preces, & fidei arcana in cantus simplices redigi, sic ab neophytis cantiones abstulit quibus ante Baptismum assuerant, factumque sensim, ut totus Malabaris, & Piscariæ tractus maritimus, & syluæ Molucenses (quod ipsi qui audierant testantur) nocturnis diurnisque cantibus barbarorum sonarent, virorum, mulierum, puerorum, domi foris, in agris, in nauibus, in piscatione, *Pater, Ave, Credo, Decalogum, mysteria fidei* alacritate mira canentium, non sine pudore salutarum Christianorum veterum ex Europa, quæ *S. Pater* suo quibusque neophytis idiomate, rithmis idoneis dictarat, atque has indiscriminatim vniuersorum bono Xauerij caritas, artes adhibuit.

Perculiares sunt alia magisque insignes, quarum primaria hæc fuit, ut præcipuos conatus verteret, ad subiiciendos Regi regum ethnicos principes, tum quod esset Christo gloriosum vertices coronatos, & mundi Dominos, vltro eius pedibus aduolui; tum quod in regibus regna illorum integra; in dynastis totas crucis imperio, illorum prouincias manciparet. Qua excelitate capacis animi vir sanctus, Maurum Tranancoris; ethnicos duos Zeilani reges; Piscariæ Sarrapas; Saxumæ, Amanguccij, & Bungi reges aggressus est, & Euangelij machinis valide impugnavit; tentauit & Voum, magnum illum Meaci principem quamuis autem extra spem fermè esset, belluinam illam principum tum Maurorum tum ethnicorum licentiam, circumscribere lineis Christiani pudoris, cum domi centum, foris quot immanis libido suafisset, vxores alerent, haud tamen commisit diuina bonitas, serui sui, contentiones aduersus hanc pestem exire cassas atque inutiles, duas enim principis sorores, & Cacilis Arij Moluci Regis duos ex fratre filiolos, baptizauit; & cordatam illam sapientemque Mauram Neachilen, Regum Tidorensis filiam, vxorem

64

Lucubrat.
Xau.

65

Reges Xau.
ad Christum
conuer.

T t

vxorem

vxorem Teruatensis, Christo similiter adiunxit; & Reges Nuliagri, & Vlates, insularum Amboino affinitum, cum eorum populis Ecclesiae addidit; & propiorem Molucis, tota cum Insula Rosolao illius toparcham, cui suum Francisci imposuit nomen, & de Saraceno, vel ethnico, fecit tam serium, fortemque Christianum, vt profiteretur, si orbis vniversus, nedum finitimi quibus vndique cingebatur Mahametani reges, tentaret armis fidem reuellere, quam P. Xauerius sibi altè defixerat, frustra fore omnes mortalium conatus, quod Petrus Martinez Lusitanus ex eo audisse retulit. De Rege vero Maldiuarum habent tabulae publicae ex testimonio Petri Principis ipsius filij, fuisse à S. P. Francisco ad fidem perductum, initiatum vitali lauacro, & Manuelis nomine insignitum: habent quoque de Rege Celebis insulae (quam alij Macarem vocitant) fuisse ab S. Apostolo cum fratre principe, multisque clientibus baptizatum, cum germano ipsius, quod ex eius filia Leonora auditum saepius docet iisdem ex actis Ioannae de Mello testificatio. Sic Deo placitum vt quae illum insula mouerat ad tentandum australem Oceanum, eius licet nouis rationibus deinde, ad praedicandum Molucensibus interuersi; laboribus tamen postea frueretur, quorum ideo praetermissa est à me distincta narratio, cum eius itinera, & Molucensem expeditionem libro secundo describerem, quod nihil reperissem de iis expressius quam quod ea quam dixi regis lilia significauerat. Subdidisse alios etiam Christo reges, & baptismi sacrasse caractere certum est, de quibus etsi sigillatim, silent acta, & tabulae quod lapsu annorum interciderent eorum nomina, sed confirmat fides summorum Pontificum dum aiunt. *Multi illarum nationum Reges, & Magni principes, ingenti cum fidei nostrae emolumento, suau Christi iugo colla subdiderunt.*

66

Omnibus omnia quam mirabiliter fieret.

Restat nunc illam explicemus solertiae partem quam in reuocandis ad frugem perditis, Xauerij caritas mirabiliter occupauit; de qua forte non nemo absurdum putauerit, si dicam ab eo haud paulo validius agendi comitate, & suauitate amabili expugnatos, quam auctoritatis pondere, quae illi apud omnes & virtutum exemplis, & miraculorum reuerentia parta erat; adiungebat se promiscue omnibus familiari consuetudine: sed vsu magis domestico, cum iis qui pessime animo laborarent: dissimulabat nosse, cuius essent farinae, impudici, homicidae, adulteri, foeneratores, exsecratores diuinorum, & si quid detestabilis, vt copularet eos sibi affectu beneuolo, qui primus illi erat, ad inuadendos non multo post, sanandosque illorum animos, accessus: somniant ferè qui arma profitentur, se à pietate, & Christianis officiis immunes, verum inter Indos vitam agebant in omni licentia dissolutissimam, eorum se tamen inuito mori accommodabat Sanctus, vltro ad multa caecutiens & surdus, quae inueterata illorum effutiebant improbitas, ne illos ab se auerteret, velut ab censore potius quam contubernali. Quaedam ex ipsis factu procliuia, interdum perebat, quanquam iis minimum egeret, sed opinionem fiduciae suae constare illis volens; deferebat vero etiam non rogatus alia commodi grauioris, dolens apud illos, quod se pro externo magis quam amico haberent